

.lxv. OMELIA IN NATALE SANCTI MARTINI EPISCOPI .

/134r/ [i.] Postquam dominus noster iesus christus triumphator ad alta caelorum ascendit et in maiestate paterna conse dit ; multis seculi partibus doctorum lumina concessit . quatinus ignorantie tenebris effugatis . ad uerum lumen agnoscendum gentes ubique conuerteret . Et quasi – stillę diuersis in caeli partibus clarescunt ; ita et doctores sancti per uarias mundi partes lucescerent ; ut omnibus uia patesceret salutis . et ueritatis lux claresceret cunctis . Unde et beatissimum martinum galliae direxit in partes . ut populos gentilitatis errore torpentes luce ueritatis inradiaret . et plurimas de antiqui hostis faucibus extraheret gentes ; et sacratissimo christi coniungeret corpori . [ii.] Iste igitur martinus primum sub rege constantino in adolescentia sua . Deinde sub iuliano cesare inuitus militans . magis elegit deo cœlesti seruire . quam imperatori militare terreno . Quia cum decem annorum esset inuitis parentibus ad aecclesiam fugiens . caticuminus se fieri postulauit . Et post sacri baptismatis misterium quod uigesimo secundo etatis sue anno accepit . Magnus in mundo claruit miraculis . Hęc sunt enim prima eius insignia . Quia dum adhuc caticuminus esset ; in fri gore hiemali . quod multum inhorruerat media clamidis suae parte . in porta ambientium ciuitatis pauperem uestiuit ; qua etiam parte clamidis suae . inter angelicos exercitus . dominum iesum nocte sequente uidit uestitam clara uoce dicentem . Martinus adhuc caticuminus . hac me ueste contexit ; ut uerum intelligeret esse /134v/ martinus . quod in euangelio dixerat dominus . Quandiu fecistis uni

ex his minimis . mihi fecistis . [.iii.] In eodem quippe habitu quem  
pauper acceperat dignatus est . Iesus se ostendere ; ut similia  
studeamus agere . Deinde post hęc terrenę renuntiauit mili  
tiae . inquiens ad cesarem . ac tenus tibi militaui pater . ut nunc  
militem deo donatiuum tuum pugnaturus accipiat ; christi enim sum  
miles . pugnare mihi non licet . Tunc pro hac uoce indig  
natus est tirannus dicens . Certe non religionis gratia . sed  
metu futurae pugnę detractat militię . At martinus ad  
ha`n`c uocem constantissime inquit . si ignauiae hoc michi  
asscribitur non fidei . crastina die sine armis ante exercitum  
stabo ; et in nomine iesu signo crucis non clipeo protectus  
aut galea ; hostium cuneos penetrabo securus . [.iiij.] Postero autem  
die sancti uiri merito hostes legatos de pace miserunt . sua  
omnia seque dedentes . ne inermis ad praelium mitteretur .  
sed omnes absque uindicta . eius meritis liberarentur . Post  
haec quidem relicta militia sanctum hilarium antistitem  
uenerabilem expetiuit . Quia tunc temporis sicut lucifer in  
célo ceteris clarior stellis clarescit ; ita ille uir sanctus in  
aeccllesia christi omnibus laudabilis . magnitudine fame et uitę  
sanctitate . et doctrinarum ueritate sanctorum . excelsior effulge  
bat cunctis . Huius disciplinis sanctus martinus uoluit se so  
ciari . t<sup>1</sup> ut talis uiri intrepidus exemplis . contra omnia  
maligni spiritus tela muniretur et dictis . Post hęc quidem  
diuino per saporem ammonitus est eloquio . ut patriam  
parentesque quos adhuc gentilitas detinebat religiosa  
sollicitudine uisitaret ; et ad sacre conuerteret fidei  
/135r/ professionem . At ille<sup>2</sup> peregrinationem illam adgressus est ; reuelans  
fratribus multa se aduersa passurum . et postea ita euenit . Primum  
enim inter alpes incidit in latrones . Cumque unus securi in  
caput eleuasset . sustinuit alter . Sed uinctis post ergum manibus

<sup>1</sup> canceled by subpunction

<sup>2</sup> corrected from ipse

uni traditus est aduersantium . cui se interroganti an timeret  
Respondit . Numquam se fuisse tam securum ; quia sciebat misericordiam  
dei maxime in temptationibus ad futuram se illi dicebat . Magis  
autem de te doleo . ne christi misericordia latrocinia exercens indignus  
sis . et uerbum dei ad eum predicauit . statimque latro credidit ; Mar  
tinumque prosperè reddebat uiae . orans ut pro se dominum precaretur .  
Deinde item progressus est . et obuiam sibi in humana specie dia  
bolus in itinere se obtulit . quo pergeret interrogans . Cumque  
ad a martino responsi accepisset se quo dominus mittebat perge  
ret ; ait ad eum . Ubi cumque ambulaueris . aduersabitur tibi zabulus .  
Tunc respondit ei prophetica uoce . Dominus mihi adiutor est ; non timebo  
minas tuas . Statimque ē conspectu eius euanuit . Et postea ma  
trem quę se mundo genuit ; ipse regenerauit christo ; absoluens  
gentilitatis errore ; tamen patre in malis perseuerante . Sed  
post multas hereticorum tribulationes plures suo saluans  
exemplo . Iterum ad hilarium repedauit . et prope ciuitatem  
monasterium sibi construxit . In quo ei quidam caticu  
minus adhesit ; uolens eius instrui disciplinis . subito  
que mons sed absente uiro u febrium illum praerepsit .  
Quem uir dei rediens post `t'riduum . precibus pro eo ad deum profusis  
resuscitauit ; uite que redditum baptizauit . qui multis post  
ea uixit annis . Ab hoc quidem tempore beati istius uiri  
nomen enituit . ut qui sanctus iam ab omnibus habebatur . potens etiam  
et uere apostolicus haberetur . Alterum quoque in lupicini  
/135v/ cuiusdam uiri honorati agro laqueo suspensum . sacris oratio  
nibus pristinae restituit uitae . [.vii.] Tertius ab eodem sancto uiro in  
carnoteno oppido . filius cuiusdam mulieris flentis . sola ora  
tione in conspectu populi resuscitatus est . Quo uiso mira  
culo . plurimi ex populo unanimiter crediderunt christo .  
Et iterum succedente tempore . in eodem oppido mutam  
ab infantia puellam oleo benedicto sanauit . Et alia mul

ta in episcopatu . sanctarum insignia uirtutum gessit miracula ;  
et multa caelestis uitae dogmata docens . priuate con  
tinentiam uitę in multitudine populi constitutus non amisit .  
Humilis enim erat in habitu . iocundus in sermone . deuotus  
in predicatione uerax in iudicio ; uenerabilis in moribus .  
preuigil in orationibus ; assiduus in lectione . Constans in uul  
tu . pius in affectu ; honorabilis in sacerdotali ministerio ;  
infatigabilis uerbi dei seminator . impiger acceptam domini  
sui pecuniam multiplicare . Cum gaudentibus gaudens .  
Cum lugentibus lugens ; omnibus omnia factus . ut omnis  
lucrificaret christo . Virtutibus insignis . bonitate lauda  
bilis ; pietate amabilis multis in episcopatu fulgens  
uirtutibus . Nam turbam paganorum ritu tu multuantem  
in obsequio cuiusdam corporis uerbo orationis  
uno ligauit in loco . Iterumque resoluens . suis  
permisit dominari uestigiis . Ruentem pinum  
super se . signo crucis apposito auertit . Mirantemque tur  
bam christo credere fecit . se ipsum in tectu cuiusdam  
domus flammis opposuit ; ne inno tua lederet ignis tecta .  
qui fanum incendit idolatrię . Aliud quoque templum  
antiquo errore dęmonibus dedicatum . dum manu non potuit  
/136r/ humana ; angelico uultus auxilio subuertit . necnon alio loco  
gentilium sacra subuertens . a quodam pagano gladio appetitus .  
Ille nudum ferientis<sup>3</sup> ictui collum opposuit . Sed impius retro  
cadens ; suam intelligens impietatem ueniam postulauit  
a sancto . Alteroque librante iocum in sanctum caput . ferrum fugit  
de manibus . TReueris paraliticam puellam totisque resolutis  
membris sacra . benedicti olei infusione ; asstante populo  
pristicae reddidit sanitati . Tetra dii pro consularis uiri  
seruum . manus impositione a doemonio liberauit . Unde

---

<sup>3</sup> corrected from ferientes

et ille te tradius cum tota domo sua ; ad christianam conuersus  
est religionem . Cuiusdam quoque patris familias pueri a de  
mone arrepti digitos in os mittens . spiritum malignum per pu  
denda patientis exire compulit . Leprosum in porta pari  
siae ciuitatis a deformitate sui corporis . solo saluauit osculo .  
Sed et fimbria uestimenti eius uel filis cilicii ; Multos sanare  
morbos non dubium est. Filia arborii prefecti per impositionem  
epistole sancti martini . a grauissimus liberata est febribus . Pau  
lini oculum penniculo superposito sanauit . a dolore atque  
caligine . Idem quoque sanctus martinus cadens super gradus  
caenaculi . grauiter pene totis adtritus est membris ; Et nocte  
ab angelo dei ad integrum recreatus est sanitatem ; sepiusque  
angelicis uisitationibus . et familiari collocutione fruebatur .  
Quadam uero die beatissime genetricis dei et domini nostri iesu  
christi . et sanctorum apostolorum petri et pauli . necnon sanctarum uirgi  
num teclę et agnetis uisitatione . iste uir dei honoratus  
et confortatus est . Nam doemonum fantasmata et in  
diuersis figuris horribiles aspectus nihil metuens . nec  
ullis eorum fallaciis inludi potuit . Spiritu uero prophetarum  
/136v/ ita claruit . ut multis multa predixerit futura ; ueluti maximo  
in italia uictoriam . et in aquileia interitum praedixerat . Eodem  
beato uiro sacrum caelebrante mysterium ad altarae . globus  
igneus subito de uertice fulsit illius . Euantius quidam egrotus  
properante ad se beato uiro prius sanitatem recepit . quam sanctus  
martinus domum intraret . In eadem quoque domo puerum  
a serpente percussum . sanctorum tactu digitorum a periculo mortis  
eruit . Nam tantę fuit uir dei patientiae . ut conuitia non  
doluit ; obprobria non sensit ; Immo et quorundam rusticorum  
flagella placido sustinuit animo . et eorum fixa terris anima  
lia . solo soluebat sermone nemini adulando blandiebatur  
principi ; nulli ueritatis uerba tacuit . sed semper adnota ora

tionum subsidia recurrebat . Vnde si quid ei potestas ren-  
nueret s̄ecularis . mox diuina illi prestabat pietas dei. Quędam  
persona a dęmonio uexata . stramine ubi sanctus martinus iace-  
bat liberata est ; et non solum homines sed etiam animalia .  
a daemonum liberabat potestate . et mansuetos in suum redire  
gregem precipiebat . Et i`am tante fuit misericordię . ut canibus  
insequentibus lepusculum imperauit stare . et miseram bestío-  
lam a morte presente eripuit . Villa quedam in senónico  
grandinum tempestate sepuis uastata . ad preces sancti mar-  
tini multis liberata est annis . Quaedam mulier . a sangu-  
nis fluxu . uestimentorum illius tactu sanata est . Talibus etiam  
et aliis innumerabilibus electus dei sacerdos inmundo cla-  
ruit . mi`ra`culis . quę per se dominus ostendere dignatus est . ut per eius  
exempla . ducatum nobis preberet ad celestia regna .  
Prestante domino nostro iesu christo. qui cum eodem patre et spiritu sancto  
uiuit et regnat . in secula seculorum . amen .